



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

iiij. De Pactis, & Transactionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

illius, etiam quo ad ccepta, procurator esse definit.

DE PACTIS, ET
Transactioni-
bus,

TITVLVS III.

Metu iudiciorum interdum deuenitur ad pacta, ad transactiones, & ad compromissa. hoc dicit.

Consequens nunc est, vt videamus de serie, & actis ipsorum iudiciorum. Sed quia interdum accidit, vt iudiciorum metu litigaturi ad pacta & transactiones veniant, aut ad arbitros declinent, ideo prius paucis de his dispiciamus.

Pacta sunt seruanda, & per ea etiam indultis Apostolicis derogari potest. h. d.

Et quidem pacta inter quoscunque, quacunque de re inita, regulariter suam habere debent firmitatem: neque enim quiscquam, vt diuinum monet oraculum, ea quæ de labijs suis procedunt, irrita facere debet. Quod quidem vsque adeo obtinet, vt Apostolicis etiam indultis pactum derogat. Inde^a cum monasterio ab Apostolica sede libera sepultura concessa esset, pactumque esset cum Rectore parochialis Ecclesiæ, ne parochiani ipsius ad sepulturam reciperentur, responsum est, in dicto monasterio sepeliri eligentes, obstante conuentione, voti sui fieri non posse compotes.

^a cap. 1. de
pact. in 6.

Pactum, per quod filia dotata renūciat hereditati paternæ, iuramento vallatum, tenet. hoc dicit.

Eodem etiam spectat^b, quod^b pactum à filia, dum nuptui traditur, cum patre factum, vt dote contenta, ad bona paterna nullum habeat regressum, si iuramento vallatum sit, licet lege Ciuili improbetur, seruari debet: cum tale pactum non vergat in æternæ salutis dispendium.

Pactum quod tendit ad periculum animæ, non ligat. h. d.

Quod si seruatum in animæ tendat detrimentum^c, quia forte sit pactum de re turpi, veluti quod post mortem Titij clerici Scius in beneficio succedat: vel aliter de iure, vel de facto sit impossibile, nullam inducet obligationem.

Transactiones, quæ non sunt iuri contrariæ, seruari debent. & partium iuribus derogant. h. d.

Transactiones^d quoque similem iuris firmitatem obtinent, vsque adeo vt iuribus omnibus, quæ partibus, aut obtentu prescriptionis, aut priuilegij, seu quocumque modo suffragari poterant, vires adimant. Sed & hoc de illis transactionibus intelligere nos oportet, quæ non sunt iuri contrariæ. Alioqui si aut super re sacra^e, & litigiosa, aut in causa matrimonij interpositæ sint, nullum robur obtinent.

De

^b cap. 2. de
pact. in 6.

^c cap. fin. ext.
de pact.

^d cap. 1. ext.
de trans.

^e cap. constitutus. &
cap. fin. ext.
de trans.